



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig
Salisburgi, 1693

24. De Officio Archipresbyteri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

circa Archidiaconos plurima in desuetudinem abierunt, vel certè per Vicarium, aut alios Ministros expediuntur.

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

SUMMARIA.

1. Archipresbyter quis? Et subest Archidiacono.
2. Archipresbyter urbanus & ruralis.
3. Archipresbyter an habeat jurisdictionem.
4. Archidiaconus & Archipresbyter debent suscipere Ordinem suo nomini congruentem.

Archipresbyter, quasi primus Presbyterorum, dicitur ille, qui præest Presbyteris & Presbyterialibus officiis, *cap. 1. hoc. tit.* aliòque nomine etiam *Decanus* quandòque vocari solet *c. Ad hæc 7. de Officio Archidiaconi.* Subest Archidiacono *cap. 1. b. t.* licet enim sit ordine major tanquam Sacerdos, cum non requiratur, ut Archidiaconus sit Presbyter; est tamen inferior jurisdictione, quia ad Archidiaconum totius Diocesis sollicitudo de jure antiquorum Canonum pertinet, unde & *Vicarius natus* à Doctoribus appellatur, de qua præcedentia inter Archidiaconum & Archipresbyterum videri potest *Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 24. & seq.*

2. Sunt autem Archipresbyteri alii *urbani*, seu *civitatenses*, alii *plebani*, sive *rurales*. *Urbani* sunt, qui in Ecclesia Cathedrali hōris Canonici præstant, & Episcopi vicem in divino supplent officio. *Rurales*, qui curam animarum in plebe exercent, & super alios Parochos, ac Presbyteratos, qui per minores titulos habitant, inspectionem gerunt, circa quos inferiores Clericos ea quidem, quæ minora sunt, absque figura judicii disponere & componere possunt, majora verò omnia; & ea, quæ sine judicii

figurâ expediri nequeunt, ad Episcopum referre debent. Imò nec inobedientes, & negligentes vel delinquentes sine autoritate Episcopi punire valent. *c. officium 3. c. fin. ubi Glossa. in v. referant. & Abbas hoc. tit.* Riccius in *Praxi aurea. parte 2. Resp. 93. Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 25. n. 32. & seqq.* Hinc est, quòd Archipresbyter non habeat propriè dictam jurisdictionem, & nec propriè sit judex ordinarius. Contrarium quidem insinuat Innocentius in *c. Archidiacono. 5. de Officio Archidiaconi.* eò quòd in *cap. 3. de Officio Jud. Ord. supponatur*, Archipresbyterum posse sententiam excommunicationis ferre; verior tamen est interpretatio Glossæ & Barb. in *eodem cap. 3.* quòd plebanus, de quo fit mentio in illo *cap. 3.* ex consuetudine (quæ aliquando dat jurisdictionem, *dilecti. 4. de Arbitris*) vel alio speciali privilegio habuerit majorem potestatem, quam aliàs de jure communi Archipresbyteris competit.

Porro Archidiaconi, & Archipresbyteri admonendi sunt, ne solum nomen, sed etiam ordinem nomini congruentem suscipiant; unde nisi Archidiaconus intra annum a die suscepti officii ordinem Diaconatus, & Archipresbyter Presbyteratus consequatur, amittunt officium. *cap. 1. dist. 60. cap. 1. X. & Clem. 2. de Etate & qualitate.*

TITULUS XXV.

XXVI. XXVII.

De Officio Primicerii, Sacristæ, & Custodis.

Primicerius dicitur, quasi primus in choro, & primus ratione cantus, atque alio nomine *Præcentor* vocatur secundum